

ipsum Magni nomine fuerunt insigniti.
Primo namque Ille natus est Hæres ejus di-
gnitatis, quam constanter semperque reti-
nuit atque defendit; Deinde non prælia
modo, sed etiam bella, justis de causis susce-
pta felicissime finivit, non modo sine ulla
Nominis aut Fidei suæ labe ac detrimento,
sed etiam cum summa existimatione & ap-
plausu totius orbis: Postremo hæc singula-
ris felicitas, Divino munere Eidem contigit,
quod cum inter arma & strepitus belli, Regi-
men suum auspicatus esset, ac omnem æta-
tem fere inter arma exegisset, in otio & tran-
quillitate tamen extremum vitæ suæ confe-
cerit diem. Hæc certe talia & tanta sunt,
ut eorum memoria & cogitatione merito
obstupescamus, tantisque laudibus quid-
quam addi ab ullo Principe potuisse despe-
remus. Nihilofecius addidit his rebus cu-
mulum & pondera *Fridericus Rex vere Au-
gustus, Dominus Noster Longe Clementis-
simus*; Nam Regale Diadema, quo majus
nullum in terris est, *Primus* Genti suæ in-
tulit

unusquisque

53

tulit